

operationum, quæ ad materiam pertinere non possunt.

Prob. 2 Pars. Si cogitatio pertineret ad materiam, vel cogitarent singulæ materiæ particulæ, ex quibus componeretur corpus cogitans, vel non. Utrumque absurdum est; ergo &c. Minoris 1 pars ostenditur. Si cogitarent singulæ corporis particulæ: vel cogitatio esset tota in singulis, vel partim in una, partim in altera: neutrum autem dici potest.... Non 1: alioquin tot erunt substantiæ cogitantes quot partes. Verum non dubia conscientia novimus unum aliquid & simplex in nobis cogitare. Præterea si tot essent cogitationes quot partes, de illis singulis partibus eadem, quæ de toto corpore cogitante quæstio semper institui posset, num scilicet singularum illarum partium particulæ in infinitum divisibiles cogitent vel non. Si dicerentur cogitare, ergo essent actu in nobis infinita numero entia actu cogitantia seorsim, quæque proinde separata, dum corpus in pulverem reducitur, etiam cogitarent; ita ut deinde in plantis, in terra, in lapidibus, aliisque corporibus, in quæ transfret corporis nostri substantia, essent infinita actu particulæ cogitantes, quod est absurdum. Si vero illæ partium cogitantium particulæ in infinitum divisibiles non cogitent, inde etiam illud sequitur, cogitationem scilicet esse partim in una parte, partim in altera: quod quidem absurdum est. Etenim cogitatio non ita potest in partes dividi, ut media pars cogitationis dicatur esse in una materiæ parte, media pars in altera;